summa fidei de christo annunciata videtur concluditur
ubi tandem prolixitas huius libri debito fine terminatur

Explicit liber sextus

Incipit septimus

Et vidi celum apertum et ecce equus albus. Celum ut sepissime iam dictum est ecclesia electorum intelligitur de qua scriptum est celum michi sedes. Et Salomon dicit anima iusti sedes est sapientie. Paulus autem confirmat christum esse dei virtutem et dei sapientiam. Quod videlicet celum clausum fuit quando non permittebant apostoli et ceteri fideles libere loqui nec dominus preceperat predicando ad omnes gentes. Clausum erat hoc celum quando timore cogente apostoli erant positi in cenaculo propter metum iudeorum et subsilentio se tegebant quando venit dominus ianuis clausis et stetit in medio et dixit eis Pax vobis. Sed postquam ille ascendit ad celos aperuit hoc celum quia decima die sue ascensionis misit eis spiritum sanctum quo inflammati ceperunt loqui variis linguis magnalia dei et qui prius non audebant christum confiteri nisi sua lingua postea innumerabilium diversitate linguarum publice predicabant. Per equum album corpus et animam christi debemus intelligere, sessorem autem equi divinitatem verbi que presidet sue humanitati. Nunc autem equum et

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_298/0441